

veram et bonam pro falsa et mala, jam Ecclesia non esset sancta, quia Ecclesia dicitur sancta potissimum ob sanctam suam professionem, quia nimirum legem, et professionem sanctam profitetur; quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum; tum quia si Papa posset errare circa doctrinam morum, docendo falsa pro veris, et approbando mala pro bonis, Ecclesia necessario erraret circa fidem, quia contra fidem catholicam docentem omnem virtutem esse bonam, omne vitium esse malum, teneretur credere virtutem esse malum, et vitium esse bonum, utpote sic sibi propositum a suo magistro, cui tanquam vivæ regulæ fidei tenetur obtemperare; Ecclesiam autem errare circa fidem est impossibile cum sit *columna et firmamentum veritatis* (I *Timoth. III*) cui assistit Spiritus sanctus, ne erret, docensque ei omnem veritatem (Joan. xvi) ibi: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

(47. Objiciuntur contra nostram conclusionem varii Summi Pontifices, qui prætenduntur errasse, et decreta contra fidem et bonos mores ex cathedra edidisse. Sanctus enim Petrus (Gal. II) erravit cogendo gentiles judaizare; Liberius subscripsit formulæ fidei Arianae et condemnationi D. Athanasii veræ fidei defensoris; Zephyrinus Montani hæresim approbavit; Vigilius damnavit doctrinam de duabus naturis in Christo; Stephanus VI et Sergius III irritaverunt acta Formosi, quæ tamen postea, cassatis circa hoc Stephani et Sergii decretis, approbavit Joannes IX. Honorius primus admisit cum Monothelitis unam in Christo voluntatem; Gregorius II cap. *Quod proposuisti* 32, qu. 7, erravit definiendo quod si mulier propter infirmitatem non possit debitum reddere, possit vir aliam ducere; Nicolaus primus in cap. *A quodam Judæo*, De consecr., dist. 4, falso definiit validum esse baptismum in nomine Christi collatum; Gelasius in cap. *Comperimus*, De consecrat., dist. 2, falso dicit non posse citra sacrilegium sumi unam speciem eucharistiæ sine alia.

(48. Respondetur tamen, quod nullus ex adductis Pontificibus erravit in decretis ex cathedra circa doctrinam fidei et morum. Non erravit S. Petrus proponendo Ecclesiæ falsum dogma, sed solum erravit facto, quatenus abstinendo coram Judæis a conversatione gentilium conversorum, indirecte eos inducebat ad judaizandum. Sic Liberius non approbavit definitive hæresim Arianae, sed solum metu tormentorum subscripsit condemnationi Athanasii, et communicavit cum episcopis Arianis. Unde solum peccavit contra confessionem fidei, inciditque solum in hæresim externam, sicuti et metu mortis thurificavit idola Marcellinus, et Christum negavit Petrus, qui ideo fidei confessionem externam non sustinuerunt, sed non ideo amiserunt fidem internam, quam in corde vere servaverunt, ut colligitur ex verbis Christi Luc. xii, 31 ad Petrum: *Ego rogavi pro te, ut*

*non deficiat fides tua.* Hinc Liberius, *Epistol. ad Ursacium*, anathematizat Arianos. Unde quamvis Petrus, Marcellinus, et Liberius peccaverint, nihil tamen per hoc ex cathedra decreverunt contra doctrinam fidei et morum. Zephyrinus Montani hæresim nulatenus approbavit, sed misit solum litteras pacis ad ejus sectatores, putans doctrinam Montani non esse fidei Romanæ contrariam, quas tamen revocavit statim ac a Praxæa, et aliis fuit edoctus de Montani erroribus. Vigilius, quando damnavit doctrinam catholicam de duabus naturis in Christo, non erat verus Pontifex, sed intrusus in pontificatum ope Theodoræ imperatricis hæreticæ, vivente adhuc Liberio vero Pontifice. Quando vero, mortuo Liberio, fuit verus et legitimus Pontifex, ipsam imperatricem cum aliis hæreticis excommunicavit, et doctrinam catholicam usque ad mortem in exsilio propugnavit. Stephanus VI et Sergius III errarunt solum in quæstione facti: putantes enim Formosum non fuisse legitimum Pontificem, ejus acta annullarunt; quæ restituit Joannes IX ubi deprehendit fuisse legitimum. Honorius primus, dum in Christo unam voluntatem esse rescripsit, non intellexit cum Monothelitis esse solum divinam, sed non esso duas humanas contrarias et pugnantem; sicuti sunt in nobis post peccatum in quibus « caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem; » volens Honorius per id ostendere quod a Christo non fuerit assumpta natura variata et Adami labe corrupta, sed incorrupta et integra, quæ vacua erat concupiscentiæ morbis et motibus spiritui ac rationi contrariis, et sic omnia, quæ in ejus carne erant, subicerentur perfecte et sine ulla rebellionem spiritui. Gregorius II, loco citato, intelligendus est de impotentia perpetua matrimonium dirimente. Nicolaus primus docuit quidem in eo textu, baptismum in nomine Christi collatum esse validum, sed addidit statim: « Sicut conferebatur tempore apostolorum. » Etenim Actorum II dicitur: *In nomine Christi baptizantur viri ac mulieres.* Cum autem tempore apostolorum baptismus conferretur, vel in nomine Christi ob specialem dispensationem, ut redderetur venerabile nomen illud tum temporis exosum, ut docet D. Thomas, vel potius, ut alij putant, quia in forma baptismi etiam nomen Christi exprimebatur dicendo: « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii Jesu Christi, et Spiritus sancti. » Idcirco recte Nicolaus primus ad Bulgaros respondit validum esse baptismum hoc pacto a Judæo collatum. Gelasius loco citato loquitur de sacerdote sacrificante, cui non licet unam tantum eucharistiæ speciem sumere. Hinc universim, si quando Pontifices errarunt, vel errarunt ut doctores privati, vel in quæstionibus facti non habentibus connexionem cum quæstionibus juris ad fidem, vel mores spectantibus, ut passim controversiæ dogmaticæ ostendunt. Et sic solvantur omnes objectiones quæ possunt et solent

adduci de variis Pontificibus qui prætenduntur errasse (179).

(49. Papa errare non potest in canonizatione sanctorum. Est de fide. Ita Lauræa *De fide*, disp. 7, art. 3, § 1; Leytan., *Synops. de Eccles. milit.*, discept. 6, sect. 1, ubi plures allegat; Diana, *Coordin.*, t. IX, tract. 3, resol. 15; Castropal., p. 1, tr. 4, disp. 1, punct. 5, § 5, n. 2; Joannes de Neapoli, in quodlibet 11, relatus a S. Antonino in in part., tit. 12, § 2, et a Fagn., lib. II *Decretal.*, in cap. *Venerabili* 25, num. 29 et seq.; Valentia, 2-2, dis. 1, q. 1, p. vii, art. 6, § 4, vers. *Itaque*; Matthæucci, in *Opere dogmatic.*, controvers. 7, cap. 5, num. 3; Felix Potestas, tom. II, part. II, cap. 7, num. 307; Henno, tom. I *Tract. de virtutibus*, disp. 2, qu. 5, art. 6, conclus. 2; Viva, in *Quæstion. prodroma ad propositiones damnatas*, num. 11, ubi dicit esse communiorem cum S. Bonaventura, Bellarmino, Amico, Valentia, et aliis; Bord., resol. 113, n. 15; Vericelli, tract. 8, qu. 24 et 25, et plurimi alii, et signanter Lucas Castellinus, *Decertitudine gloriæ sanctorum*, cap. 3, punct. 48, et cap. 4, punct. 3, 4 et seq.; Rodericus de Arriaga, in *Disputationibus theologis*, in 2-2 *divi Thomæ*, tract. *De fide*, disp. 9, sect. 5, num. 27; Adamus Tannerus, *Theolog. scholast.*, tom. III, disp. 1, *De fide*, q. 4, dub. 7; Aloysius Turianus, in *Disputationibus in 2-2 divi Thomæ*, disp. 16, dub. 3; Alphonsus a Castro, *De justa hæreticorum punitione*, tom. II, cap. 6; Riccioli in libro cui titulus: *Immunitas ab errore tam speculative quam practico definitionum sanctæ Sedis Apostolicæ*, et alii relati ab eminentissimo cardin. Prospero de Lambertinis in præclarissimo suo opere *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione*, tom. I, cap. 45, ubi doctissime et eruditissime more suo, adductis hinc inde pro et contra auctoribus et rationibus, tandem concludit quod contrarium sentientes, licet non sint formaliter hæretici, ex quo id nondum sit ab Apostolica Sede expresse definitum, tamen sunt temerarii, impii, scandalosi, in sanctos injuriosi, faventes hæreticis, sapientes hæresim, assertores erroneæ propositionis, et gravissimis pœnis obnoxii. Vide ibi ipsum, ubi plurius egregie adducit ad rem merito legenda, addiscenda et observanda.

(50. Probatur igitur quod sit de fide Papa errare non posse in canonizatione sanctorum; hæc enim propositio: « Romanus Pontifex in canonizatione sanctorum errare non potest, » sequitur ex duplici præmissa de fide, scilicet: « Romanus Pontifex docens Ecclesiam in iis quæ spectant ad materiam fidei et doctrinam morum, errare non po-

(179) *Ejusdem Romani theologi notæ*, Circa responsionem ab auctore allatam consule Natalem Alexandrum cum annotationibus P. Mansi, clariss. P., postea eminentiss. cardinalem Orsi de Romano Pontifice, emin. Gotti, Antonium Morphi, aliosque theologos, qui longe melius illos Romanos Pontifices ab objectis criminibus et erroribus vindicant, ac ne quidem in externam hæresim incidisse

test; » sed canonizatio sanctorum spectat ad materiam fidei: ergo est de fide quod Papa errare non possit in canonizatione sanctorum. Major constat, tum ex dictis supra, a num. 41 ad 48, tum ex Evangelio Joann. cap. xiv, ubi dicitur: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis;* et c. xvi, ubi dicitur: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;* et Matth. xviii ubi habetur: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Unde Apostolus I *Timoth. III*, ait: *Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis.* Firmitas autem Ecclesiæ, et securitas eam non erraturam, est fundata in firmitate capitis et securitate non erraturum magistrum, et Matth. xvi, ibi: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Minor etiam clare patet, quia canonizatio sanctorum est actus externæ confessionis fidei contentæ in articulo de communionem sanctorum. Papa enim in canonizatione definit sanctum, quem canonizat, esse vere in gloria et in consortio aliorum sanctorum, et decernit sic firmiter ab omnibus tenendum, ut patet in bullis canonizationum, et signanter in bulla Leonis X incip. *Eccelsus*, ubi in canonizatione S. Francisci de Paula sic habet: « Decernimus, et definimus, esse receptum in gloria; » et in bulla Sixti IV incip. *Superna*, ubi in canonizatione S. Bonaventuræ sic loquitur: « Hunc sanctum esse, fideliter firmiterque teneri debere decernimus, » et consimiliter in aliis aliarum canonizationum bullis, quas omnes adducere nimis operosum esset. Unde S. Thomas, quodlibet 9, qu. 7, art. 16, in corpore quæstion., dicit: « Honor quem sanctis exhibemus est professio quædam fidei, qua sanctorum gloriam credimus. » Et S. Bonaventura in *Opusculo contra Gulielmum* ait: « Ad infidelitatem spectat de sancti canonizati gloria dubitare. »

(51. Nec valet objicere quod judicium Papæ in canonizatione est humanum, cum innitatur testimoniis humanis, adeoque est fallibile. Non valet, inquam, quia licet judicium Papæ sit humanum *dispositive*, est tamen divinum *directive*, roboratum nimirum assistentia Spiritus sancti, qua ita regitur, ut in definitione errare non possit. Quamvis enim Papa utatur testimoniis hominum in se fallacibus, illis tamen utitur solum *dispositive*, ut maturo procedens consilio et examine, se disponat ad recipiendam motionem Spiritus sancti, sine qua nunquam devenit ad canonizationem. Hinc

demonstrant. Vide etiam cl. Bart. in *Vind. Honorii*. Adde his Ballerinum, et Zaccariam tum in *Antisebronio*, tum in peculiari dissertatione *De Libero Summo Pontifice*, atque eruditissimi D. Xaverii de Marco librum inscriptum: *Difesa di S. Pietro, e di altri Pontefici Romani accusati di errore*, Romæ, 1780. in-8.

Spiritus sancti motio, directio et assistentia est unica causa, ut dubitari non possit de iudicio Pontificis, ac etiam ut falsa hominum testimonia rejiciat, et vera admittat.

(52. Nec etiam valet objicere illud satis vulgatum, quod divo Augustino tribuitur: « Multa corpora sanctorum venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in inferno. » Non valet, inquam, quia ultraquam quod dictum istud non reperitur in veris operibus S. Augustini, ut observarunt Bellarminus tom. II, lib. I, cap. 9, *De sanctorum canonizatione*; Viva, *loc. cit.*, num. 11; Matthæucc., *loc. cit.*, num. 19; Felix Potestas, *loc. cit.*, n. 313, et plurimi alii; dato adhuc quod esset divi Augustini, seu alterius S. doctoris, nihil probaret contra nostram conclusionem, quia dictum illud est intelligendum de hæresiarchis et falsis martyribus, qui apud multos nomen sancti obtinent et superbissimis sepulcris honorantur, cum tamen eorum animæ torqueantur in inferno. Sic Donatistæ suos martyres honorabant, quos carpit S. Augustinus, serm. 325, *De Natal. 20 martyrum*. Sic Hussitæ ut martyrem colunt suum hæresiarcham Hussium; sic Lutherani ut sanctum venerantur suum hæresiarcham Lutherum, et sic de aliis. Non autem est intelligendum de veris sanctis a Papa canonizatis et Ecclesiæ propositis, de quibus canit regius Psaltes: *Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Gaudent in cælis animæ sanctorum*, etc. Sic doctores citati, et alii passim.

(53. An autem etiam sit de fide quod Papa nequeat errare, et sit infallibilis in beatificatione beatorum, variant doctores. Multi enim, licet concedant Papam errare non posse, et infallibilem esse in beatificatione beatorum infallibilitate morali, et infra fidem, id tamen negant infallibilitate fidei. Unde tenent quod qui negaret beatificatum a Papa esse in gloria, non esset hæreticus formalis, sed ejus propositio esset temeraria, scandalosa, impia, sapiens hæresim, et hujusmodi. Sic Valentia, tom. III, disp. 1, quæst. 1, punct. 7, § 40; Tannerus, 2-2, tom. 1, disp. 17, dub. 6; Henno, *loc. cit.*, concl. 2; Arriaga cum Viva, *loc. cit.*, num. 11, et alii quos sequitur Diana, *Coordinat.* tom. IX, tract. 3, resol. 18, num. 6, et plures alii.

(54. Et ratio istorum est, quia beatificatio non est ultimum iudicium Papæ, seu Ecclesiæ, quia post illud, antequam ad canonizationem deveniatur, fit novum examen, quod non fieret et injuriosum fidei esset, si de fide esset Papam non posse errare in beatificatione; nam quod est de fide certum, ulteriori examine, et certitudine non eget, cum sit infallibilis veritatis. Tum quia Pontifices in bullis beatificationis uti solent solum verbis *concedimus, indulgemus, impartimur*, ut talis beatus appellari, et de eo sacrum, et officium in tali loco, et a talibus personis fieri possit. In bullis vero canonizationis utuntur verbis explicitis *declaramus, definimus, decernimus, et mandamus* talei sanctum ab omnibus venerandum

esse, et uti talem ubique, et ab omnibus firmiter tenendum esse. Unde, dicunt ipsi, de fide est quod Papa non possit errare in canonizatione, et non est de fide quod non possit errare in beatificatione.

(55. Multi autem alii absolute tenent quod de fide est quod Papa non possit errare, non solum in canonizatione, sed etiam in beatificatione. Sic Leytan, *loc. cit.*, num. 436; Verricelli, in *Qq. moral.*, tract. 8, q. 55, num. 3; Castropala, t. I, tr. 4, disp. 2, punct. 5, § 5, n. 4; Matthæucc., *loc. cit.*, num. 42; Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 309; Bordon., *loc. cit.*, et alii plures.

(56. Ratio istorum ultraquam quod eadem potest deservire pro beatificatione, quæ supra num. 50 adducta est pro canonizatione, insuper est, quia Papa etiam ad beatificationem nunquam devenit, nisi prius implorata divina ope, et habita motione, illustratione, directione, et assistentia Spiritus sancti, ex qua certo iudicat, et deducit eum infallibiliter esse in gloria, sicque implicite declarat ac definit, dum eum beatificat et ut beatum Ecclesiæ ac fidelium cultui et venerationi proponit: ergo de fide quoque est non posse Papam errare in beatificatione; alias, si Pontifex posset errare in beatificatione, tota Ecclesiæ posset errare in iis quæ pertinent ad cultum et venerationem, quia Papa beatificans alicquem, eum toti Eccl. venerandum implicite proponit. Quamvis enim divinum officium et sacrum Deo offerre in ejus honorem non concedatur omnibus, omnibus tamen in Ecclesia licet se illius precibus etiam publice commendare, eumque beatum vocare, et pro tali reputare, colere et venerari. Quod omnimode repugnaret Ecclesiæ sanctitati et infallibilitati, si non esset de fide beatum infallibiliter esse in gloria, cum sic tota Ecclesiæ posset errare venerando et colendo hominem sibi propositum ut verè beatum, qui posset forsitan esse damnatus in inferno.

(57. Ad rationes autem prioris sententiæ respondeant negando, quod beatificatio sit ultimum et completum iudicium, quod vir Dei sit in gloria, imo per beatificationem ut talis toti Ecclesiæ proponitur, et ideo ubique a fidelibus beatus certo absque formidine in gloria creditur et ad gratias impetrandas invocatur, quamvis uni soli provincie, aut regno, vel religioni officio ac missa colendus permittatur. Nec obstat quod pro canonizatione novum fiat examen, quia tale novum examen non fit de virtutibus viri Dei, neque de miraculis in vita, aut ante beatificationem patris, quibus probata fuit sanctitas vitæ et infallibilis existentia servi Dei in gloria: sed fit solum novum examen de continuatione miraculorum post beatificationem a Deo ad intercessionem beati patris, ut inde publico cultu officii et missæ in tota Ecclesia colendus decernatur. Nec etiam officit quod Pontifices in bullis beatificationis uti soleant solum verbis *Concedimus, indulgemus, impartimur*. In bullis vero canonizationis utuntur verbis explicitis *Declaramus, definimus,*

*decernimus et mandamus*, quia, ut recte dicit Trullench, in *Decalog.*, tom. I, lib. I, cap. 9, dub. 5, n. 3, Pontifices per canonizationem et beatificationem declarant servum Dei esse in gloria; per canonizationem quidem in forma explicitè definitiva et pronuntiativa; per beatificationem vero in forma indultiva, concessiva et implicite definitiva.

(58. Pontifex errare non potest in approbatione religionum. Sessa, *Scrutin. doctrin.*, cap. 2, art. 13, num. 38; Diana, *Coordinat.*, tom. IX, tract. 5, resol. 23; Viva, *loc. cit.*, n. 12; Leytan, *Synops. de Eccles. milit.*, discept. 6, sect. 3; Matthæucc., *loc. cit.*, controvers. 7, cap. 3, n. 3; Barbosa, lib. I *Juris eccl.*, cap. 2, n. 46; Valentia, 2-2, disp. 1, quæst. 1, punct. 7, § 41; Azorius, *Instit. moral.*, part. II, lib. V, c. 7, quæst. 2; Bellarminus, Banner, et alii passim contra Canum. (59. Et ratio est, quia approbatio religionum spectat ad materiam morum, cum sic decernatur institutum talis religionis esse sanctum, salutare, honestum, et medium aptum ad assequendum evangelicam perfectionem, cujus falsitas officeret puritati, doctrinæ et sanctitati Ecclesiæ. Cum autem Pontifex errare non possit in decretis morum, consequenter neque errare poterit in religionum approbatione.

(60. Nec valet objicere quod nullibi reperitur fuisse religiones a Deo revelatas, adeoque Papam posse errare in earum approbatione, cum solum circa revelata sit infallibilis. Non valet, inquam, quia esto religiones non sint revelatæ quantum ad existentiam, earum tamen honestas et sanctitas revelata est in hoc principio: « Ecclesia est sancta, Ecclesia in suo capite habet infallibilem potestatem circa necessaria, et utilia saluti fidelium. » Unde sequitur omnino: « Religio hæc est a Pontifice approbata; ergo est sancta, honesta, utilis ad salutem; cum Pontifex ex officio sui pastoratus nequeat proponere Ecclesiæ, nisi bonum, honestum et sanctum, alias portæ inferi prævalerent adversus eam. »

(61. Nec valet instare quod religiones sunt contingentes, cum possint supprimi, et de facto plures fuerint suppressæ, adeoque non posse cadere sub revelatione, quod sint bonæ, honestæ et sanctæ, alias Pontifices suppressores errarent. Non valet, inquam, quia licet religiones sint contingentes quoad existentiam, non tamen quoad honestatem et sanctitatem. Nec per hoc, quod possint supprimi et de facto fuerint aliquæ suppressæ, valet inferre quod in se fuerint vel evaserint inhonestæ et malæ, adeoque vel Pontifices suppressores erraverint, aut Pontifices approbatores Ecclesiam decepterint, approbando aliquid institutum de se malum et inhonestum; quia causa suppressionis fuit pravitas et malitia earumdem professorum, ex quorum relaxatione cessabant religiones illæ esse utiles Ecclesiæ; unde suppressio non tangit sanctitatem religionum suppressarum, nec officit infallibilitati Pontificum prædecessorum, qui eas

approbarunt, sed tangit solum abusus, corruptelas et relaxationes sine spe emendationis in ipsas a suis professoribus introductas, propter quas, vel alias extrinsecas circumstantias, pro statu præsentis minus utiles et convenientes Ecclesiæ apparebant; quemadmodum in dies videmus leges ipsas positivas a prædecessoribus latas revocari a suis respective successoribus, tam principibus laicis quam pontificibus seu præsulibus ecclesiasticis, non quia malæ per se et sui natura censeantur, sed quia per accidens et ob extrinsecas circumstantias, aliasque rationabiles causas pro statu præsentis, vel minus necessariæ, aut inutiles, seu minus idoneæ ad bonum publicum reputantur.

(62. Papa probabilius, etiam ut persona privata, non potest in hæresim incidere, et in fide deficere. Ita Albertus Pighius, lib. III *De ecclesiast. hierarch.*, cap. 8; Gravina, t. IV, part. II, disp. 1, art. 1, in *Appendic.*, ad finem; Tirinus, tom. II *Commentar. in Scripturam*, controvers. 6, n. 18; Fragosus, *De republ.*, tom. II, lib. I, disp. 1, § 2, n. 32; Joannes Wiggers, 2-2 *divi Thomæ de Pontific.*, lib. IV, cap. 6; Jaderin., *Introduct. ad lect.*, disp. 1, art. 8; Suarez, t. I., *De fide*, disp. 10, sect. 6, n. 11; Bellarmin., *De Pontifice*, lib. IV, cap. 6; Matthæucc., controvers. 7, cap. 1, n. 3 et seq., alique plures, et hanc sententiam valde probabilem censet etiam Barbosa, lib. I *Juris eccl. univers.*, cap. 2, n. 51, et probabiliter tenent plurimi alii contra Turrcreematam, Canum, Cajetanum, Sotum, Bannez, Valentiam, Castropalaum, Turrianum, et plurimos alios, quos referunt Barbosa, *loc. cit.*, n. 47; Pegna, comment. 74 in quæst. 25, part. III *Director. inquisitor.*; Fagnan., in cap. *Significasti*, n. 68, De elect.; Diana, *Coordinat.*, tom. IX, tr. 5, resol. 12., et alii.

(63. Probatur autem nostra conclusio ex verbis a Christo dictis divo Petro *Lucæ xxii*, ibi: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; quæ verba non personaliter ad solum Petrum, sed ad omnes successores in ejus cathedra pertinent ostendimus supra a n. 44. Unde cum constet Petrum sic a Deo fuisse confirmatum, ut ejus fides etiam personalis minime posset deficere, ut clare denotant illæ particule *pro te et tua*, quas expendimus supra n. 43, idem dicendum est etiam de aliis Romanis Pontificibus ejus successoribus. Ideo enim tale privilegium est illis impetratum, ut fratres suos in fide confirmet; sed quomodo confirmabunt, si sint ipsimet vel hæretici vel infideles? An in aliis eam fidem stabilient, quam ipsimet animo exsecrantur et impugnant? Tum quia, cum Pontifex sit viva regula, quam omnes fideles sequi et præ oculis semper habere debent, oportet muniri singulari aliquo privilegio, quo ab errore in iis quæ sunt fidei, non solum sedes ipsa, sed etiam illius persona præservetur; alias si et ipsum Papam in hæresim labi et a fide deficere admittamus, quid aliud spe-

rari poterit, nisi quod cæcus ipse nos cæcos simul in foveam trahat, juxta illud *Math. xv, 14*, ibi: *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt; et Lucæ vi, 39*, ibi: *Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?* et cap. *Cum sit ars artium 14*, De ætate et qualitate, ibi: « Quia si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur? »

(64. Hinc hæc Romanæ Ecclesiæ præ omnibus aliis prædicatur excellentia et prærogativa singularis, quod omnes aliæ principales et antiquiores Ecclesiæ, non solum hæreticos, sed etiam hæresiarchas habuerunt episcopos: Antiochena videlicet Paulum Samosatenum; Alexandrina Dioscorum; Constantinopolitana Dioscorum (180) et Macedonium, et sic de reliquis, ut prosequitur Mendoza, in quæst. 4 *Scholast.*, § 4, arg. 7. Ecclesia vero Romana nunquam. Ex tot enim Romanis Pontificibus, quamvis aliquibus subinde moribus utunque dyscolis, nemo unquam repertus fuit qui in hæresim vel apostasiam fuerit prolapsus, ut fuse demonstrant Bellarminus, *De Pontifice*, l. iv, cap. 8, et seq.; Lauræa, *De fide*, disp. 8, art. 5, usque ad § 11; Albertus Pighius, *De ecclesiast. hierarch.*, lib. iv, cap. 7; Barbosa, lib. 1 *Juris ecclesiast. univers.*, cap. 2, a num. 52; Matthæucc., *loc. cit.*, contr. 6, cap. 4, et contr. 7, cap. 1, et fatentur omnes alii, teste Fagnan. in cap. *Significasti 4*, De electione, n. 69. Et expresse id testatur Agatho Papa in *Epistol. ad Constantinum imperatorem*, quæ lecta est in iv synodo, act. 4, et postea act. 8, ab omnibus approbata. « Hæc est, inquit, veræ fidei regula, quam, et in prosperis, et in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam a tramite apostolicæ traditionis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus unquam depravata succubuit, quia dictum est Petro: *Simon, Simon, ecce Satanæ expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est agnatum. » Vide etiam dicta *supra*, num. 48.

(65. Nec valet objicere quod si omnis Papa, ut S. Petrus, neque ut persona privata, posset in hæresim incidere et a fide deficere, hoc esset de fide, et consequenter essent hæretici contrariam sententiam tenentes, quod non est dicendum, cum illam teneant clarissimi doctores, tum canonistæ, tum theologi, ut patet ex adductis *supra* num. 62, et notat Fagnan. in cit. cap. *Significasti 4*, De elect., n. 68. Non valet, inquam; quia etiamsi dicatur id esse de fide, ut volunt aliqui, inter quos Matthæucc., *loc. cit.*, contr. 7, cap. 1, n. 7, utpote revelatum saltem implicite, et virtualiter in

(180) E. R. scilicet Nestorium; Dioscorus enim non fuit patriarcha Constantinopolitanus.

illa propositione, *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, adhuc tamen contrarium sentientes non essent hæretici, quia propriam opinionem non sustinent cum pertinacia, ut requiritur ad hæresim; sed parati sunt parere Ecclesiæ definitioni.

ROMANI THEOLOGI NOTÆ.

Dum auctor noster ait Papam, ne quidem ut personam privatam, incidere in hæresim posse, atque id esse de fide, non ita intelligendum est, ut Ferraris exponit, ut contrariam opinionem tuentes hæretici habendi sint, si pertinaciam non exuant. Nam hæc quæstio scholastica est, et nondum Ecclesiæ judicio definita, ac salva fide cuique opinari fas est, non solum de fide non esse Romanum Pontificem, quatenus personam privatam, non posse in hæresim incidere, quod verum omnino est, sed etiam errare posse. Item dum theologi cum auctore nostro aiunt de fide esse Romanum Pontificem in canonizatione sanctorum errare non posse, ac de fide esse hunc numero Romanum Pontificem esse legitimum Petri successorem, non ita intelligi debent, ut id veluti fidei dogma amplectendum cuilibet sit; cum enim Ecclesiæ sententia id definitum non sit, pro fidei dogmate proponi non potest; sed intelligi hoc sensu debent, quod privati doctores ex principiis revelatis deducere contendunt, id adeo certum esse, ut ad fidem pertineat. At aliis, salvo dogmate, contrarium opinari licet; ut revera opinantur Ludovicus Antonius Muratorius in opere suo *De ingeniorum moderatione*, atque alii, qui contendunt inerrantiæ privilegium Ecclesiæ concessum ad fidei dogmata constabilienda, versari circa ea quæ sunt a Deo revelata, non vero circa res humanas. Quamobrem cum Romanus Pontifex ferendo judicium in canonizatione sanctorum nitatur testimonio hominum, qui de hominis sanctitate, deque patris in istius confirmationem miraculis testantur; eumque judicium de legitimo Pontifice ferendum pendeat ab ipsius baptismo, rata ordinatione atque legitima electione, quæ res ab hominibus pendent, putant auctores isti ad fidei dogma non pertinere canonizationem sanctorum, nec fidei dogma esse hunc Roman. Pontificem esse legitimum successorem S. Petri, licet de his certi sumus certitudine morali, ac non nisi per summam temeritatem revocare ea in dubium valeamus. Accedit etiam quod dum nos propugnamus de fide esse Romanum Pontificem esse infallibilem, non ita sententiam nostram sustinere debemus, ut Gallos theologos aientes infallibilia non esse decreta Romanorum Pontificum, nisi accesserit consensus majoris partis episcoporum, hæreticos declarem; hæretici enim non sunt, nisi homines qui proposito ab Ecclesia dogmati pertinaciter obstunt. Ecclesia vero Gallos theologos huc usque non damnavit, eorumdemque opinionem tolerat.

RESPONSIO AUCTORIS.

Quod ego assero, Papam, nequidem ut personam privatam, incidere in hæresim posse, atque id esse de fide, etc., intelligendum est, prout expono ipso *loc. cit.* ubi expresse dico: adhuc tamen contrarium sentientes non essent hæretici, quia propriam opinionem non sustinent cum pertinacia, ut requiritur ad hæresim, sed parati sunt parere Ecclesiæ definitioni. Et en de qua pertinacia loquor ego, de pertinacia nempe non parata parere Ecclesiæ definitioni, quoties explicita habeatur. Scio enim ego quod hæc quæstio scholastica est, ideo eam non resolvo ut certam, sed tantummodo ut probabilior, ut expresse in mea conclusione ibidem, n. 62, ibi: *Papa probabilis, etiam ut persona privata, non potest in hæresim incidere et in fide deficere, juxta classicos illos auctores ibi allegatos, inter quos doctissimus noster Matthæucci in opere dogmatico Romæ prius edito, et deinde Venetiis, contr. 7, cap. 1, num. 3, ibi: « dicendum, Pontifex Romanus ut persona privata, non potest in hæresim incidere et in fide deficere. »* Et sic etiam juxta eundem sensum intelligenda sunt tradita a me, quoad infallibilitatem Papæ in canonizatione sanctorum et quod hic Romanus Pontifex, Clemens XIII v. g., legitime electus et ut talis ab Ecclesia acceptatus, sit verus Papa et legitimus Petri successor.

(66. Nec etiam valet dicere, quod sacri canones supponunt, Papam ut personam privatam posse a fide deficere, ut de facto supponitur in canone *Si Papa 6*, dist. 49, ubi statuitur Papam a nemine propter quodcumque crimen posse judicari: « Nisi deprehendatur a fide devius, » adeoque Papa, quoad se et ut persona privata, potest in hæresim incidere et a fide deficere. Non valet, inquam, quia textus ille non est alicujus Pontificis, aut concilii generalis, sed ejusdem Bonifacii martyris, episcopi Moguntini, qui potuit illius esse opinionis, ut fuerunt et sunt plures alii; et ideo nobis, utpote privati doctoris, vim non facit, cum nostra sententia majoribus sit suffulta auctoritatibus et rationibus, adeo ut, si non sit de fide, est tamen certa certitudine infallibili infra fidem.

(67. De fide est Benedictum XIV v. g. legitime electum, et ut talem ab Ecclesia acceptatum, esse verum Papam. Est communis inter Catholicos.

(68. Probatur primo ex concilio Constantiensi, sess. ultim., ubi Martinus V const. incip. *Inter cunctos*, decernit ut ab iis qui de hæresi ad fidem revertuntur, petatur inter alia « Utrum credant quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor B. Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei? » adeoque supponit esse articulum fidei, cum hæresim abjurantes non nisi de fidei veritatibus interrogentur. Tum quia est hæresis Lutheri, quod Papa non sit vicarius Christi, cujus error 25 a Leone X cum aliis

proscriptus fuit constit. incip. *Exsurge*, ibi: « Romanus Pontifex Petri successor non est Christi vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro constitutus. »

(69. Probatur secundo. Illa conclusio est de fide, cujus duæ præmissæ sunt de fide; sed hæc conclusio: « Benedictus XIV est verus Papa, » sequitur ex duabus præmissis de fide; ergo est de fide. Major est certissima: Probatur minor, quia hæc duæ præmissæ (ex quibus sequitur dicta conclusio) « omnis in Papam legitime electus, et ut talis ab Ecclesia acceptatus est verus Papa; sed Benedictus XIV est talis » sunt de fide; et quidem de majori nulli Catholicis dubitant, alias non esset de fide, legitimum Petri successorem esse verum Papam. Minor quoque est certa, quia eo ipso quod Ecclesia ipsum recepit ut legitime electum, revelat Deus ipsius electionem esse legitimam, cum promiserit Christus nunquam Ecclesiam suam erraturam in materia fidei, ut patet ex evangelicis textibus adductis supra a n. 42 ad 44; erraret autem in tali fidei materia, si non staret conclusio; quandoquidem Ecclesia agnoscens electum ut legitimum Papam, ipsum agnoscit ut fidei regulam infallibilem, qui tunc esset fallibilis, adeoque, etc. Tum quia definitiones Bened. XIV ex cathedra loquentis sunt de fide; sed non essent de fide, nisi esset de fide Benedictum XIV esse verum Papam; ergo, etc.

(70. Nec valet objicere quod non est de fide quod Benedictus XIV sit valide baptizatus et canonicè electus, cum id non sit revelatum; ergo neque de fide est quod sit verus Papa. Non valet, inquam, quia licet non sit revelatum explicite, est tamen revelatum implicite per pacificam Ecclesiæ universalis acceptionem; eo enim ipso quod Deus revelet esse legitimum Papam, etiam implicite revelat habere omnia ad Papatum necessario requisita.

(71. Nec etiam valet objicere quod, licet sit de fide Christum esse in eucharistia, non est tamen de fide esse in hac numero hostia, adeoque licet sit de fide verum Petri successorem esse Papam, non est tamen de fide hunc numero hominem esse Papam. Non valet, inquam, quia negatur consequentia, et paritas; et disparitas est, quia non est certum quod hæc numero hostia sit valide consecrata. Secus autem est de acceptione Papæ, cum revelatum sit hunc hominem esse Papam, eo ipso quod per Ecclesiam indefectibilem agnoscitur et recipitur ut talis.

(72. Primatus Ecclesiæ universalis, seu Papatus est annexus Romano episcopatu de jure divino. Sic tenet Abbas, in cap. *Per venerabilem 13*, Qui filii sint legitimi; Joannes Andreas, in cap. *Fundamenta*, De electione, in 6, ubi Ancharanus, n. 12; card. Tuscus, *Practio concl. juris*, tom. III, conclus. 3, n. 19, et tom. VII, lit. R, conclus. 372; Bellarmin., tom. I, *De Rom. Pontifice*, lib. II, a princ.; S. Antonin., p. III, tit. 23, cap. 3, § 7; Cajetan., tom. I *Opusc.*, tract. 3, *De Pontif. institut.*, cap. 13; Canus, lib. VI,